



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XXVII. De clericis, qui semel in clero deputati sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Nota apo-
stata.

tem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat. Si autem tam irreuerens & pertinax est, vt ad monasterium redire, & propositum monachi reluctauerit obseruare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto Canone in Concilio Calchedonensi capite quarto, papæ Siricii sexto, Leonis vigesimosexto: quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitundinis igne purgatorio.

XXVII.

In Synodo Calchedonensi capite septimo statutum est, vt clerici qui semel in clero deputati sunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam: & hoc tentantes, & pœnitentiam non agentes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegere, anathematizari. Nos autem eandem sequentes canonicam auctoritatem, statuimus, vt clericus ecclesiastice nutritus, in ecclesia coram populo vel legens vel cantans, si postmodum relicto clericatus habitu, a castris dominicis, quibus adscriptus est, profugus & apostata elabatur, & ad sæculum egreditur: ab episcopo canonicè coerceatur, vt ad * finem matris ecclesiæ reuertatur. Quod si in hac <sup>* al. si-
gnum.</sup> indiscipline perdurat, vt comam nutriat, constringatur, vt iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si vero huic huius sancti Concilii reluctauerit definitioni, secundum præstitutam Calchedonensis capituli constitutionem anathematizetur. Sanctus

ANNO
CHRISTI
895.

Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate ac desiderio suo feruntur.

XXVIII.

In Nicæno sancto & vniuersali Concilio continetur: Propter multam perturbationem & seditio- nes quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, ita vt de ciuitate ad ciuitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur, &c. In Calchedonensi, capite vigesimo: Clericos in ecclesia ministrantes, in alterius ciuitatis ecclesia statutos fieri non oportet. Si quis episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium pertinentem, suscipiens & susceptus communionem priuentur, donec is qui migrauerat, ad propriam fuerit regressus ecclesiam. Item in Synodo Sardicensi, capite decimo octauo: Vt nulli liceat episcopo alterius episcopi ministrum ecclesiasticum sollicitare, & in suis parochiis ordinare. In Africano, capite vigesimoprimo: Vt clericum alienum nullus sibi priuet episcopus, præter eius arbitrium cuius fuerit clericus, &c. Item in decretis papæ Leonis: Alienum clericum, inuito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito caritatis id interdantem accipientem- que conuenerit. Quibus constitutis sanctorum Canonum operam dantes, & vestigijs patrum inhaerentes, hoc secundum præfixos sanctos Canones statuimus, & iustum esse decernimus.

XXIX.

Secundum decreta sanctorum patrum præiudi-